



**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Secvnda Controversia. Ab actio assumendi & vniendi naturam humanam
supposito diuino aliquem habeat terminum substantialem, & quid sit hic
terminus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

tionem, quando est completa & non impedita, & terminus illius producitur suo naturali modo: si autem creatio impediatur & maneat incompleta, accipiens complementum ab alia actione simultanea, qua res producta trahitur ad alienam subsistentiam; ac proinde etiam ad esse alienum: tunc creatio neque producit esse neque ad illud per se & immediate terminatur; sed alia superioris ordinis actione media, qua scilicet natura assumitur ad alienum suppositum & ad alienum esse; per hanc enim actionem fit, ut creatio humanitatis terminetur ad esse, quod in eodem instanti temporis per assumptionem communicatur humanitati: Non enim placet eorum solutio, qui dicunt creationem animae Christi ad solam essentiam fuisse terminatam; ut enim ostendimus in 1. p. q. 3. a. 4. rerum essentiae, tam in vniuersali, quam in particulari sunt aeternae, & a nullo agentis actione dependent: igitur praecise sumptae nullius possunt actionem agentis terminare.

Obiectio 5. *Vltimum argum.* est: Anima Christi per actionem, qua fuit à Deo creata, diuinam habuit subsistentiam, sed hanc habuit per assumptionem; ergo. Maior probatur; quia S. Th. 1. p. q. 45. a. 4. docet creationem terminari ad rem subsistentem; ergo si anima Christi diuinam habuit subsistentiam, illam habuit ex vi creationis. *Confirmatur:* quoniam humanitas Christi ex eiusdem actionis vi fuit producta, ex cuius vi fuit productus totus Christus: sed totus Christus fuit productus per vnionem; ergo. Minor patet; quia terminus totalis & qui assumptionis suae actionis vnitur per eam productus, fuit persona Christi ut ex duabus naturis composita. *Resp.* falsam esse maiorem: ad cuius probationem dico, quolibet creationem etiam animae Christi terminari ad rem subsistentem propria vel aliena subsistentia illi communicata: ad rem quidem subsistentem propria subsistentia terminatur ex vi eiusdem creationis, si non fuerit impedita creatio; Quod si fuerit impedita, tunc ad rem subsistentem aliena subsistentia ex vi actionis altioris ordinis simultaneae terminatur. Cum igitur creatio animae Christi fuerit impedita, ut ante diximus, licet fuerit ad animam subsistentem terminata: non fuit tamen productiua, vel communicatiua talis subsistentiae, sed solam animam produxit entitatem, & ad increatam subsistentiam & existentiam, ut formalem terminum media assumptione communicatum fuit terminata. *Ad confirmationem* dico, falsam esse maiorem: quoniam actio generatiua humanitatis fuit à productione sui vltimi termini praepedita; & ideo neque terminum totalem, qui Christus est, produxit, sed solam humanitatem, quae per simultaneam actionem ad Verbi diuini subsistentiam fuit eleuata.

Obi. cont. 2. concl. *CONTRA secundam conclusionem* est hoc argum. Assumptio est quasi ab alio ad se sumptio, ut ait S. D. in textu, & assumere est aliquid ad se sumere, ut ait idem S. D. *infra* q. 3. a. 1. ergo necesse est assumptioni praestelligi animam rationalem habentem esse per creationem. Et *confirmatur*, quia necesse est esse ordinem aliquem prioris & posterioris saltem secundum rationem inter animae creationem & eius assumptionem: at non videtur recte dici, eam fuisse prius assumptam quam creatam; ergo prius fuit creata quam assumpta: proprius autem & formalis terminus creationis est esse creatum; ergo anima Christi in illo priori rationis, in quo intelligitur à Deo creata, debet intelligi ut habens esse ac proinde

etiam subsistere creatum. *Resp.* nullam esse consequentiam, ut iacet sed tantum sequitur, animam rationalem ante assumptionem concipiendam esse, ut in creari & fieri. *Ad confirmationem* *ad conf.* patet ex vltimo notabili varius ordo prioris & posterioris inter creationem animae Christi & eius assumptionem.

SECUNDA CONTROVERSIA.

An actio assumendi & vniendi naturam humanam supposito diuino aliquem habeat terminum substantialem, & quid sit hic terminus?

PRIMA sententia est Scoti in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. *Sententia* quam duabus conclusionibus explicat Rada *in sua tertia parte, Controversia tertia, a. 4.* Prima quae est apud eum quinta Concl. est: Id quod in humanitate primo & immediate fit per actionem vnitivam, est vnio humanitatis cum Verbo, quae in humanitate est relatio realis actualis dependentiae ad Verbum, tanquam ad suppositum ipsam sustentans ac suppositans. *Secunda* eiusdem conclusio: Terminus vltimus actionis vniendi est Christus; à quo denominatur vnio substantialis.

Secunda sententia est Val. puncto 5. *propè finem* dicentis vnionem sumi posse tribus modis. *Primo* pro relatione dependentiae naturae humanae à Verbo. *Secundo* pro vnitae personae, in qua vtraque natura vnitur. *Tertio* pro ipsa coniunctione substantiali secundum dependentiam humanitatis à Verbo, ut à termino personali: & his omnibus modis esse terminum assumptionis: sed tamen duobus posterioribus modis esse terminum immediatum: primo verò modo mediatum; quia relatio consequitur ex vnitae personae Christi & coniunctione duarum in eo naturarum.

Tertia sententia est quorundam recentiorum asserentium, terminum assumptionis totalem esse personam Verbi ut compositam; suae Christum ut sic; terminum autem formalem esse humanitatem ut personam personalem Verbi.

Quarta sententia est Cai. qui duo dicit: *Primum* est: assumptio secundum rem habet pro termino suo (scilicet adaequato) propriissimum loquendo ens absolutum, super quod fundatur relatio vnionis; & hoc ens absolutum non est persona filij Dei sola, non haec natura humana sola, sed filium Dei esse hominem. *Secundum* est: Loquendo de termino assumptionis, ut importatur in vocabulo assumendi, natura humana est ut terminus à quo, & persona diuina ut terminus ad quem, ut ait S. D. in textu, quam sententiam non obscure significat Capr. in 3. dist. 15. q. 1. Vbi docet, terminum formalem assumptionis esse personam Verbi, ut vnitam humanitati. Eandem sententiam sequuntur alij Thomistae & expositores D. Th. Med. in hoc, & in praecedenti. Astur. q. 7. pag. 863. Suar. disp. 7. & 8. Vasq. disp. 19. & Aluar. disp. 13. Quamuis eorum aliqui à Cai. & alijs in quibusdam non magni momenti dissident. Ex quibus Med. *super art. praed.* relatis tribus opinionibus de fundamento relationis, quae est vnio, ait probabilior esse sententiam Cai. dicentis in eodem a. quod vnitas personalis filij Dei in vtraque natura est causa & fundamentum dictae relationis. Vasq. in *allegata disp. cap. 2.* ait, terminum formalem assumptionis esse ipsam humanitatem, seque neminem haecenus legisse neque audisse, qui diceret terminum

minum formale esse personalitatem ipsam aut personam Verbi, & opinionem hanc falso tribuit Cai.

Suar. *disp. 8. sect. 3. §. In hoc nihil potest.* ait, actionem hanc assumptiuam & vnitiuam &c. secundum varias eius considerationes varios etiam habere terminos formales: nam si consideretur (inquit) vt incarnatio vel humanatio, terminus eius formalis est humanitas vt vnita, si vt assumptio terminus formalis illius est substantia diuina, vt communicata humanitati: si verò vt vnitio, terminus eius formalis est quidam modus substantialis resultans in humanitate ex vnione ad Verbum; & in *disp. 7. sect. 1.* docet, terminum adequatum Incarnationis esse Deū hominem seu Verbum, vt subsistens in humanitate, seu hunc hominem Christum, vt est vnus constans ex persona diuina, & humana natura.

Resolutio.
Explicatur
sex signifi-
cationes hu-
ius vocis v-
nio; in ma-
teria incar-
nationis.

Notand. est primò, vocem hanc vnio sex habere significationes, quas Doct. S. & eius expostores tangunt, partim in hoc & partim in præcedenti & alijs sublequentibus articulis: Primò namque significat actionem agentis metaphysicam in ipso, vt eius perfectionem vltimam existentem: per quam duo extrema in vno aliquo adunantur, quæ propriè nuncupatur vnitio; & hoc modo sumendo vnionem in hoc sacrosancto mysterio Incarnationis idem est, quod actio Dei increata, quæ est ipsa essentia Dei, & est idem quod Dei voluntas efficax suæ magis actus imperij, quo Deus Pater & Filius & Spiritus S. humanam naturam filio personaliter copulauit. Secundo significat actionem physicam, quæ mutatio est; quatenus ab agente procedit in vtrunque extremum, vel in eorum alterum alteri copulandum; & hoc modo sumendo vnionem in re proposita non est idem, quod essentia Dei, vel eius voluntas, aut imperium; sed effluxus quidam est suæ modus effluxus in humanitate receptus, qui est ipsum facere Deum esse hominem & hominem esse Deum. Tertiò significat passionem, quæ est mutatio quatenus in humanitate, veluti in subiecto recipitur: & vt idem effluxus est realiter cum vnione, prout actio physica est, sola ratione formali ab eo differens; quia scilicet dicit ordinem ad subiectum, puta humanitatem in qua recipitur, non autem ad agens, à quo promanat. Sed considerandum est effluxum hunc, suæ modus effluxus in humanitate receptum non esse propriè loquendo medium inter humanitatem & Verbum, sed esse ipsum applicationem humanitatis ad Verbi personalitatem, vt ea terminetur & ea subsistat. Hæc autem applicatio nihil ponit in humanitate, præter Verbi personalitatem terminatam, & ipsam humanitatem vt terminatam. Quemadmodum etiam in resurrectione per illam actionem diuinam, qua anima corpori coniungitur: nihil per illam actionem vnitiuam præcisè sumptâ, quatenus scilicet vnitiua est, fiet in corpore præter hoc, quod est ponere animam, vt informantem in corpore, quod est applicare potentiam actui proprio, & è contra; quo fit vt actio vnitiua sit ipsa vnio, vt in fieri. Et sicut vnio Verbi cum humanitate non est aliquid prius natura existens in humanitate quam Verbum, nec se habet vt præuia dispositio ad personam Christi compositam constituendam, ita nec actio illa physice sumpta; vel etiam ad modum passionis considerata est in humanitate prius natura, quam terminetur Verbi personalitate: sed propriè loquendo est ipsum terminari Verbi personalitate; qua-

tenus hoc terminari fit à Dei potentia humanitatem applicante diuinæ Verbi personalitati; ad quam terminationem seu vnionem hoc modo sumptam sequitur esse substantiale in compositione consistens, sicut ad vnionem formæ cum materia sequitur natura composita. Quid autem sit actio physica, & actio metaphysica & quomodo differant & quomodo Deo conueniant, latè diximus in *1. p. q. 25. a. 1. & q. 45. a. 3.* Quarto nomē hoc vnio significat duorum coniunctionem & vnitatem, & in re proposita significat coniunctionem humanæ naturæ in persona diuina, quæ coniunctio consistit in vnitate, quæ est inter naturam humanam & personam filij Dei, vt ait Cai. in *a. præced.* addēs vnionē hoc modo sumptâ esse in genere substantiæ & non esse creaturam, sed creatorem: Verum de hoc agemus in speciali Contro. Quintò significat hoc nomen vnio vnitatem entis absoluti, quod in compositione consistit, & ex coniunctione vnus extremi cum altero resultat, sicut ex coniunctione animæ rationalis & corporis resultat homo, vt ex coniunctione albedinis cum subiecto resultat albus in proposito verò ex coniunctione humanitatis cum persona filij resultat hoc compositum substantiale, quod est filium Dei esse hominem. Differt autem hic vnionis modus à præcedenti. Primò quia præcedens dicit vnitatem & esse diuinæ: & ideo non est creatura, sed creator. Secundus autem dicit esse absolutum nouiter factum per actum Incarnationis & assumptionis humanæ naturæ continens creatorem & creaturam. Secundò quia præcedens modus scilicet quartus est prior hoc vltimò secundum ordinem naturæ: ideo namque filius Dei est homo, quia ad vnitatem suæ personæ naturam assumpsit humanam. Tertiò differunt quia quartus modus dicit in recto esse personale suæ vnitatem diuinæ personæ: connotat autem in obliquo naturam humanam ad illius esse personalis vnitatem assumptam: at quintus modus directè significat totum esse substantiale in compositione consistens, prout ex vtroque constat extremo, scilicet ex persona Verbi & humana natura. Postremo nomen vnionis significat relationem consequentem actionem & passionem vnitiuam, & ad eius terminum vt suam propriam causam, & fundamentum, sicut in Socrate vnio animæ & corporis prout est relatio, sequitur ex actione Platonis generantis, & ex generari ipsius Socratis, & ex termino generationis formali, qui est anima vt informans corpus, & ex termino totali & ad equato qui est hic homo genitus: Sic igitur in re proposita, vnio prout est relatio inter personam Verbi & humanam naturam, vel etiam inter naturam diuinam & naturam humanam, consequitur ex actione Incarnationis, & ex actione & passione, qua assumitur humana natura ad vnitatem Verbi personalem, & ex esse & vnitate personali Verbi vt termino formali, & ex esse substantiali in compositione consistente, veluti ex totali & ad equato termino producto, quod esse substantiale est Deus homo vel Deum esse hominem. Ex his autem vnionis significationibus breuissimè tractatis tota ferè pendet propositæ Controuersiæ resolutio. Sed operæ pratium est quædam ex dictis vberius explicare: ac primo de termino assumptionis seu incarnationis formali differendum est. Ad cuius euiden-

Secundo sciendum est duplicem esse actionis terminum, alterum totalem & adequatum, alterum autem formalem; terminus totalis & ad æ-
quatus

Propositæ
ratione
&
differentiæ
quatus

naturalis corpus animæ reunientis; ita Verbum Incarnationis mysterio communicans esse personale humanitati formalis terminus est assumptionis, non autem humanitas secundum D. Th. alioquin similitudo non solum esset nulla, sed etiam opposita & contrarium intentæ veritatis ostenderet. Et in hoc articulo docet S. Doct. nomine assumptionis determinari terminum à quo & ad quem: hunc autem esse personam assumptis significat subdens: dicitur enim assumptio, quasi ab alio ad se sumptio. Et probatur etiam his argumentis. Primo: quoniam vthic ait S. Doct. & in art. 6. assumptio duo respicit extrema, quorum vnū ad aliud trahitur: humanitas enim vnū extremum est quod ad alterum trahitur, ad hypostasim scilicet Verbi vt eius personalitas subsistat; igitur Verbi personalitas terminus est formalis assumptionis. Et confirmatur: quia quod primo & principaliter intenditur in Incarnationis mysterio, est vt persona Verbi fiat etiam humanæ naturæ persona: igitur assumptio & Incarnatio ad Verbi suppositum humanæ copulandum naturæ, & ad illud vt terminum & complementum eius nobilissimū cleuandā naturam ordinatur. Præterea Verbi personalitas similitudinem quandam habet proportionalem actus & formæ respectu humanitatis, quæ ad illam instar quasi materialis potentialis ac perfectibilis (seculis imperfectionibus ex parte Verbi) comparatur; actus autem & forma in factione cuiuscunque cōpositi ex componentium vnitis entitatibus resultantis terminus est formalis, vt ante diximus.

Sed obseruandum est, in Verbi personalitate terminante humanā naturam & eius assumptionem & vnionem duo considerari, scilicet rationem formalem terminandi & conditionem; primum est ipsa Verbi personalitas: secundum autem est eius communicatio quæ fit humanæ naturæ: & quia illud præcipuum est in significatione termini formalis: hoc autem secundariū; idē simpliciter & absolute loquendo dicitur Verbi personalitas terminus assumptionis formalis; ipsū autem explicando diximus, terminum formale assumptionis esse personalitatem, connotando naturam humanam cui communicatur, seu quæ ad eius subsistentiam & vnitatem assumitur. Sed quoniam Verbum habet ex humanitate formaliter, vt fit humana persona: idē quodammodo siue secundum quid termini formalis rationem habet humanitas in Incarnatione; non tamen simpliciter & absolute ob rationes superius assignatas. Vt autem earum vis appareat euidentius, & opposita facilius argumenta diluantur. Notandum est, vnionem humanæ naturæ cum diuina persona dupliciter posse considerari: Vno modo quatenus est vnio substantialis, per quam diuina persona constituitur in ratione humani suppositi; & hoc modo humanitas forma quodammodo est & terminus vnionis formalis; persona vero rationem habet subiecti factionis, absque vlla tamen sui mutatione, vt docet infra Cai. q. 16. a. 7. & quia Christus, qui huius substantialis vnionis terminus est totalis, formaliter includit & importat humanitatem per modum naturæ; atque adeo per modum formæ: Verbum autem per modum suppositi: idē considerata ratione vnionis substantialis humanæ naturæ cum persona Verbi: quia per humanam naturam Verbo coniunctam Christus constituitur, idē Verbū fit homo, formalior est vt sic humana natura, quam Verbum; ac proinde terminus est vnionis

Naz. in D. Tho. 3. partem

A formalis: Alio modo considerari potest hæc vnio, quatenus est assumptio & eleuatio humanitatis ad esse Verbi diuini personale, cuius accessu humanitas dignitatem adipiscitur infinitam; & hoc modo persona Verbi terminus est vnionis formalis. Et quoniam hæc vnio propriè formaliter ac simpliciter est assumptio, per quam humanitas eleuatur ad esse Verbi personale, vt ad terminum & complementum, quo suppletur creata personalitas excellenter, & additur assumptæ naturæ dignitas infinita: idē propriè & absolute loquendo dicendum est, terminum huius vnionis formalem esse diuini Verbi personam. B Et quamuis hoc nomen Christus importet formaliter humanitatem per modum naturæ; ac proinde per modum formæ: simpliciter tamen & absolute Verbum diuinum est huius nominis principalius & formalius significatum. Nā Christus formaliter quidem importat humanam naturam, sed tamen vt assumptam & eleuatam ad esse personale Verbi; quod etiam ex ipsa nominis significatione colligitur: Christus enim vnctum significat: igitur nomen Christi significat humanitatem formaliter, non præcisè sed vt vnctam oleo subsistentiæ personalis Verbi diuini.

Formalis itaque terminus assumptionis propriè & absolute loquendo fuit ipsa Verbi subsistentia humanæ naturæ communicata: vt enim scitè notat Asturicensis in allegata q. 7. pag. 868. licet Verbum, vt humanum suppositum præcisè consideratum, tam in ipsa vnione vt vnio est, quam in significatione huius vocis, Christus, se habeat quali materialiter: si tamen consideretur Verbum prout ad eius esse personale perfectissimum & formalissimum assumpta est humanitas, ipsa humanitas rationem habet eius, quod est in hac vnione materiale; & idē benè supra diximus, humanitatem non habere rationem termini formalis in hac vnione, nisi secundum quid quatenus scilicet constituit Verbum secundum rationem humani suppositi; sed absolute loquendo, terminus huius vnionis formalis est persona Verbi; cum ad eam humanitas in actu assumptionis, vnionis & compositionis se habeat vt materiale.

Ex dictis sequitur primo, terminum assumptionis, totalem & adequatum non esse relationem. Corollarium hoc probat S. D. in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. q. 3. sic discurrens: Natura relationis est, vt in alijs generibus causam habeat: quia minimum habet de natura entis, vt Comment. ait in 12. Metaph. Vnde, quamuis relatio per se non terminet motum; quia in ad aliquid non est motus, vt probatur in quinto Physic. tamen ex hoc, quod motus per se terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba, similiter etiam, ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur hæc relatio, secundum quam materia sub forma esse dicitur: ita etiam ex hoc, quod motus assumptionis humanæ naturæ terminatur ad personā, consequitur hæc relatio, quæ dicitur vnio: vnde vnio est mediū, nō sicut assumptionis causans, sed potius sicut eam consequens, &c. Quod idem probant hic optime Cai. Med. & Suar. disp. 7. sect. 1 pro quo etiam faciunt omnia argumenta, quibus sequens dictum probant expoiitores.

Secundo sequitur, terminum assumptionis totale & adequatū esse ens absolutū in cōpositione cōstitēs, quod est filiū Dei esse hominē. Probat hoc dictū Cai. optimis argumentis & post eum Med. & Suar. loco notato, & sect. 4. dictæ disputationis, & Astur. in allegata q. 7. pag. 863.

Aliquot di-
citur consona
corollaria
deducuntur.

P

Ter-

Tertio sequitur, terminum huius assumptionis totalem esse hunc hominem, Christum id est Verbum quatenus est humana persona. Dictum hoc non differt à secundo, sed illud explicat: ens enim illud absolutum in compositione consistens, de quo in secundo dicto, idem est quod hic homo Christus: & ideo eisdem argumentis probatur hoc dictum quibus & secundum: specialiter autem hoc probant Med. super hoc articulo in secunda sua conclusione. Suar. in allegata disp. 7. sect. 1. & 3. prope finem. Verbum igitur ut est humana persona, terminus est huius assumptionis adequatus seu totalis: Quod enim in vtero Virginis de spiritu Sancto conceptum est, & ex ea natum, quod factum est homo, illud est huius admirabilis assumptionis terminus adequatus & totalis: at hæc Dei filio vere conveniunt; quatenus homo est siue quatenus est humana persona; ut patet ex Symbolo fidei dicente: Et Incarnatus est de spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est; ergo Dei filius seu Verbum ut homo est, siue quatenus est humana persona, est assumptionis terminus adequatus.

Ultimo sequitur, terminum assumptionis formalem propriè & absolute loquendo esse Verbi personalitatem.

PRIMA CONCL. Quamvis assumptioni secundum varias considerationes varie possit assignari terminus formalis: oportet tamen illi unum tantum secundum rem proprium ac per se primo terminum assignare.

Hæc conclusio Cai. a. sequenti in fine Com. Probatur; quoniam hæc actio quocunque nomine significetur est eadem specie: ergo quocunque nomine significetur, habet secundum rem terminum formalem eiusdem rationis. Probatur conseq. quoniam à termino formali sumitur species actionis. Secundò hæc actio, quouis nomine significata habet eundem terminum formalem, ex cuius unitate sumitur unitas termini totalis: sicut unitas compositi sumitur ex unitate formæ.

SECUNDA CONCL. Terminus formalis assumptionis non est humanitas simpliciter & absolute loquendo, sed tantum secundum quid. Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. Terminus assumptionis formalis non est aliquis modus substantialis in humanitate productus. Prob. primò quoniam, ut ostendetur inferius, nullus talis modus in humanitate producit. Secundò quia de ratione termini formalis alicuius productionis est, ut per illam productionem communicetur productio; & ut productum accipiat esse per illum; ut ait Capre. in 1. disp. 5. q. 1. ad 1. contra 1. concl. Et hoc productum, quod est Christus siue Deus homo, non accipit esse ab illo modo, sed à personalitate Verbi, quæ eadè est realiter cū eisètia & esse diuino; ergo. Et probatur etiam prima propositio ratione: Terminus formalis est id quod in composito productio rationem habet aut modum formæ, vel actus respectu alterius partis, aut quasi partis eiusdem compositi constitutiæ: in composito autem quod est Christus, duo tantum assignantur quasi partes eius constitutiæ: Altera est persona Verbi; in qua etiam includitur diuinitas: Altera verò est humanitas: constat autem humanitatem nec esse formam nec modum habere formæ simpliciter loquendo respectu personæ Verbi, ex alia verò parte Verbi personalitas habens esse diuinum humanitati communicatur, & confert illi diuinum esse: ita ut humanitas existat existètia Verbi & sit homo Deus & Deus homo; ergo.

QUARTA CONCL. Terminus assumptionis formalis non est humanitas, ut personata personalitate Verbi.

QUINTA CONCL. Terminus formalis assumptionis propriè & absolute loquendo est persona Verbi; ut connotans respectum ad humanam naturam, cui suam communicat subsistentiam. Hæc etiam patet ex dictis.

SEXTA CONCL. Relatio non est terminus formalis neque totalis & adequatus assumptionis. Hæc est D. Th. loco notato.

SEPTIMA CONCL. Terminus assumptionis totalis & adequatus est ens absolutum in compositione consistens, quod est filium Dei esse hominem. Hanc latè probat Cai. & alij supra nominati.

ULTIMA CONCL. Terminus assumptionis totalis est hic homo Christus, id est Verbum quatenus est humana persona. Hæc sequitur ex præcedenti & patet ex dictis.

CONTRA secundam, & quintam conclusionem argum. Vsq. Per actionem assumptionis, licet fiat vna persona composita ex duabus naturis; tamen persona prout subsistens in natura diuina, dicitur hac actione fieri homo per humanitatem assumptam: homo autem non dicitur fieri Deus; ergo terminus formalis assumptionis non est persona diuina sed humanitas. Antecedens patet. Consequentia probatur: quia diuina persona constituta Deitate, & relatione in hac actione comparatur ut subiectum, quod per susceptionem alterius naturæ fieri debet homo; ratio verò formalis hominis est natura humana, quam suscipere debet persona diuina; ergo illa potius dici debet terminus formalis, qui per Incarnationem & assumptionem fit, quam diuina natura vel persona. Resp. hoc argumento probari naturam humanam esse terminum assumptionis formalem secundum quid, non autem simpliciter. Ad argumentum igitur dico nullam esse conseq. loquendo de termino simpliciter. Ad eius probationem negatur consequentia: nā sequitur tantum; humanitatem esse terminum formalem secundum quid, ut patet ex ijs, quæ latè diximus ostendentes personam esse terminum assumptionis formalem propriè & absolute loquendo.

CONTRA easdem concl. sunt duo argum. quæ ob aliis proponit & soluit Asturic. quorum tamen solutio patet ex dictis. **Primum argum.** est: Christus formaliter humanitatem importat quàm Verbum; ergo humanitas fuit terminus formalis assumptionis & hypostaticæ vnionis. Antecedens probatur: Quia Christus importat Verbum ut suppositum, & humanitatem ut naturam in ipso suppositam: at natura comparata ad suppositum rationem habet formæ; ergo. Resp. falsum esse antecedens. Ad probationem dico, nomine Christi importari formaliter naturam humanam, sed ut assumptam & eleuatam ad esse personale Verbi: & ideo simpliciter & absolute loquendo nomine Christi principaliter & formaliter significatur Verbum, quàm humanitas, ut supra diximus.

Secundum argum. est: Per hanc vnionem per obiecta se primò intenditur ut Verbum quod suppositum erat diuinum esset per Incarnationem suppositum humanum, sed ab humanitate tanquam à forma habet diuinum Verbum ut sit suppositum humanum loquendo formaliter de supposito humano, ut est humanum; ergo humanitas formalior fuit huius vnionis terminus. Respond. formalitatem, quam habet humanitas, quatenus Verbum constituit in ratione sup-

suppositi humani esse potentialitatem, & materialitatem respectu eius perfectionis, quam ipsa humanitas accipit ex vnione ad Verbum; ac proinde Verbum, quatenus suppositum est humanitatis eleuatium & perfectiū formalis significatur hac voce Christus, quam humanitas.

Ob 1. cont. 4. conl. **CONTRA quartam**, & quintam concl. arguunt recentiores prædicti *Primò*: quia teste Arist. 2. *Phys. tex. 14. & lib. 1. de partibus animal. c. 1. in fine*, natura est terminus generationis, non quidem totalis sed formalis; ergo etiam terminus formalis huius vnionis, per quem generatus est Christus, non est persona sed natura. *Confirmatur primò*; quia terminus formalis habet se vt principium formale & non materiale: persona autem Verbi habet se vt subiectum sustentans humanitatem; ergo. *Secundo confirmatur*: quia terminus huius actionis vt est humanatio, est humanitas; ergo illa etiam est terminus formalis assumptionis vel Incarnationis, quæ sunt eadem actio specie. *Resp. primò* Arist. *locis allegatis* nomine naturæ formam intelligere, vt perspicue declarat ibi philosophus. Secundo dico nullam esse consequentiam: quoniam in assumptione humanitatis à Verbo, non generatur sed supponitur humanitas actu producta: fit autem compositum hoc, quod est Christus, per hoc quod Verbi personalitas additur vt terminus & vt complementum humanitati. *Ad primam confirm.* dico, personam Verbi secundum quandam rationem se habere, vt subiectum sustentans humanitatem, & secundum hanc considerationem, humanitatem esse terminum formalem Incarnationis. Sed quoniam humanitas non est terminus huius actionis, nisi vt assumpta & eleuata ad Verbi personalitatem, à qua summam recipit perfectionem: idè simpliciter & absolute loquendo, terminus formalis huius actionis est diuina Verbi personalitas. *Ad secundam confirm.* patet ex dictis: probat enim humanitatem esse terminum huius actionis secundum quid.

Obi. 2. *Secundo* Incarnatio est actio specie distincta ab assumptione naturæ Angelicæ vel equinæ; ergo habet terminum formalem specie distinctum à terminis illarum; ergo terminus formalis illarum non est persona Verbi. Antecedens patet; nam termini totales illarum sunt distinctæ speciei, scilicet hic homo, hic Angelus & hic equus: nō est autem actio eiusdem speciei, quæ habet terminum totalem distinctæ speciei. Prima etiam consequentia patet; quia terminus formalis est, qui tribuit speciem totali termino; igitur vbi terminus totalis fuerit distinctæ speciei etiam terminus formalis erit speciei diuersæ. Secunda verò consequentia probatur: quia persona Verbi semper est eiusdem rationis, siue terminet naturam humanam siue Angelicam aut equinam &c. & idè si esset terminus formalis prædictarum actionum, omnes ille haberent terminum formalem eiusdem rationis & essent eiusdem speciei. *Resp.* Incarnationem dicere vnionem hypostaticam diuinæ personæ cum humana natura: Incarnatio igitur potest dupliciter considerari. *Primò* ex parte vnitatis hypostaticæ in ipsa Verbi personalitate. *Secundò* ex parte naturæ ad talem vnitatem assumptæ. Si primò modo consideretur Incarnatio; prout scilicet est vnio duarum naturarum in vna Verbi personalitate; quod est considerare ipsam, vt est vnio hypostatica in persona Verbi vt sic, non est diuersæ rationis ab alijs vnionibus, quæ fieri possunt cū

Alijs naturis, puta Angelica equina &c. quia omnes sunt vniones hypostaticæ secundum eandem Verbi personalitatem: naturarum enim assumptarum diuersitas secundum hanc considerationem hic interuenit tantum materialiter & quasi per accidens: si verò secundo modo consideretur Incarnatio, scilicet ex parte naturæ assumptæ, certum est eam specie differre ab vnione Verbi cum natura Angelica & equina &c. & quoniam vnitas personalis est id quod precipuum & formalissimum est in Incarnatione: idè simpliciter & propriè loquendo dicendum est, prædictas actiones non esse species differentes. Ad argumentum igitur negatur antecedens propriè & absolute loquendo; quamuis sit verum secundum quid scilicet considerata Incarnatione ex parte naturæ. Ad probationem dico terminos illarum assumptionum esse specie distinctos considerando assumptiones illas ex parte naturarum assumptarum; non autem si considerantur, quatenus vnitatem habent hypostaticam in propria Verbi personalitate, quæ est earum consideratio simpliciter.

CONTRA sextam & septimam conclusionem sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Cai. & Med. *super hoc 4.*

Alia argumeta, quæ contra prædictas conclusiones afferri possent ad sequentem attinent Cōtrouerfiam.

TERTIA CONTROVERVERSIA.

An per actionem assumendi & vniendi fiat aliquid in humanitate, quod sit accidens absolutum aut respectuum, aut modus absolutus vel respectus ab ea distinctus.

QVINQUE solent in hac Contro. Doctorū sententiæ recenser. *Prima* est Gab. 1. *dist. 30. q. 4. a. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. a. 1.* Vbi docet per assumptionem & vnionem fieri qualitatem quandam absolutam supernaturalem in humanitate, vt per eam vniatur diuinæ personæ: hanc verò qualitatem dicit esse gratiam vnionis.

Secunda sententia est Scoti in 3. *dist. 1. q. 1. §. sed circa dictum articulum*, quam explicat & tuetur Rada in sua 3. p. *Contro. 3. a. 4.* & consistit in tribus dictis: *Primum* est, per actionem vniendi fit aliquid in humanitate, quod tamen non est qualitas supernaturalis, neque entitas aliqua absoluta, quæ sit veluti proximum vnionis fundamentum. *Secundum* id, quod in humanitate primò & immediate ac proxime fit per actionem vnitiuam, est vnio humanitatis cum Verbo, quæ in humanitate est relatio realis actualis dependentiæ ad Verbum, tanquā ad suppositū ipsum, sustentat ac suppositas. *Tertiū* est: Vnio humanitatis cum Verbo, licet sit accidens, non tamen est accidentalis sed substantialis: quia humanitas vnitur Verbo secundum substantiam, id est hypostasim verum esse illi substantiale tribuendo scilicet esse hominis; quia ex vi vnionis Verbum verè est homo & substantia & quid, non quale aut ad aliquid.

Tertia sententia est Suar. *disp. 8. sect. 2.* qui dicit quatuor. *Primum* est: Per actionem vnitiuam aliquid factum est in humanitate ab illa distinctum ex natura rei, quod definirer esse in illa si à Verbo separaretur: *Secundum* est: Id quod fit in humanitate, est modus substantialis ipsius humanitatis, quo intelligitur existere in Verbo, qui